

- Exempla en nobis Burgundia, Francia donant.  
 Non incusamur, si talibus aequiparamur.  
 Legatos mitto, foedusque ferire jubebo,  
 90 Obsidis inque vicem dilectum porrigo natum,  
 Et jam nunc Hunis censum persolvo futurum?  
 Sed quid plus remorer? dictum compleverat actis.  
 Tunc Auares, gasis onerati denique multis,  
 Obsidibus sumptis Haganone, Hiltgunde puella,  
 95 Nec non Walthario redierunt pectore laeto.  
**A**tila, Pannonias ingressus et urbe receptus,  
 Exulibus pueris magnam exhibuit pietatem,  
 Ac veluti proprios nutrire jubebat heredes,  
 Virginis et curam reginae mandat habere.  
 100 Ast adolescentes propriis conspectibus ambos  
 Semper adesse jubet; sed et artibus imbuunt illos,  
 Praesertimque jocis belli sub tempore habendis.  
 Qui simul ingenio crescentes mentis et aeuo,  
 Robore vincebant fortes, animoque sophistas,  
 105 Donec jam cunctos superarent fortiter Hunos.  
 Militiae primos tunc Attila fecerat illos,  
 Sed haud immerito; quoniam, si quando moveret  
 Bella, per insignes isti micuere triumphos.  
 Idcircoque nimis princeps dilexerat ambos.  
 110 Virgo etiam captiva, deo praestante supremo,  
 Reginae vultum placavit, et auxit amorem,  
 Moribus eximiis operumque industria abundans.  
 Postremum custos thesauris provida cunctis  
 Efficitur, modicumque deest, quin regnet et ipsa;  
 115 Nam, quicquid voluit, de rebus fecit et actis.  
**I**nterea Gibicho defungitur, ipseque regno  
 Guntharius successit, et ilico Pannoniarum

87 exemplum C. exempla in A. 91 Denique nunc I. 92  
 demoror I. 98 alumnos I. 99 fehlt C. I. 109 illos A. 117  
 Guntharius regno successit I.